

Quoniam, ita volente Deo Optimo Maximo, desideratissimus Dominus J.-T. Duhamel archiepiscopus Ottawiensis, post factam distributionem commissionum, abiit e vivis, septima commissio et servabit examinandam materiam primæ commissioni assignatam et præsidem habebit Illnrum et Rmum Dominum Lorrain, episcopum Pemlrokensem, et ut præsidem adjunctum Illnrum et Rmum Dominum Brunault, episcopum Nicoletanum.

Omnes materiæ (seu schemata) Concilii inter has septem commissiones dispertitæ sunt. Ordo quidem titulorum et decretorum fuit aliquantum mutatus atque ita mutatus servabitur in determinando ultimo textu Concilii. Verum in examinandis schematibus apud commissiones, cœtus synodales et congregationes Patrum, retinebitur priscus ille titulorum et decretorum ordo qui fuerat primum propositus. Quæ Rmorum Archiepiscoporum placita Patres confirmaverunt unanimes.

Proponente Illmo et Rmo Archiepiscopo Quebecensi, duo statuuntur unanimi consensu : 1^o Singulis episcopis integrum quidem esse ut pro libitu huic vel illi intersint ex septem commissionibus ; attamen singulos uni proprii ex illis iri destinatum : 2^o omnes et singulos invitatos ad Concilium admissum iri ad cœtus commissionum et inter illas distributum.

Proponente Episcopo Victoriensi, Patres Concilii approbant indices hic adjungendos, ab Excellentia Sua Reverendissima præparatos, quæ unaquæque commissio schemata sit inspectura, qui episcopi, invitati, theologi singulis sint adfuturi. Statuitur insuper posse præsidem commissionum, approbante Excellentia Sua Reverendissima, transferre eos qui uni commissioni adsciti sint ad alteram, modo postea consensiant suffragio Patres.

Proponente Archiepiscopo Marianopolitano, in id omnes conveniunt ut quidquid decernitur Manuali practico Concilii a singulis episcopis diligenter consideratum, recognitum approbetur in forma debita, in proxima Patrum congregatione, postquam si cui placuerit reformanda indigitaverit et judicaverint Patres.

Differtur congregatio ad horam octavam vespertinam et preces offeruntur ut offerri solent.